



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

VIII. De epistola sancti Iacobi Apostoli, in qua pro infirmis orari praecepitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

VIII.

Sane quoniam de hoc , sicuti de ceteris , consulere voluit dilectio tua , adiecit etiam filius meus Cælestinus diaconus in epistola sua , esse a tua dilectione positum illud , quod in beati Apostoli Iacobi epistola conscriptum est : *Si infirmus aliquis in vobis est , vocet presbyteros , & orent super eum , ungentes eum oleo in nomine Domini , & oratio fidei salubrit laborantem , & suscitabit illum Dominus : & si peccata fecit , remittet ei . Quod non est dubium , de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere , qui sancto oleo chrismatis perungi possunt : quo ab Episcopo confecto , non solum sacerdotibus , sed omnibus vti Christianis licet in sua aut suorum necessitate * inungendo .* Ceterum illud superfluum videmus adiectum , vt de Episcopo ambigatur , quod presbyteris licere non dubium est . Nam idcirco de presbyteris dictum est , quia Episcopi occupationibus aliis impediti , ad omnes languidos ire non possunt . Ceterum , si Episcopus aut potest , aut dignum dicit , aliquem a se visitandum , & benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest , cuius est ipsum chrisma confidere . Nam poenitentibus istud infundi non potest , quia genus est sacramenti . Nam quibus reliqua sacramenta negantur , quomodo vnum genus putatur posse concedi ? His ergo , frater carissime , omnibus , quæ tua dilectio voluit a nobis exponi , prout potuimus , respondere curauimus , vt Ecclesia tua Romanam consuetudinem , a qua originem dicit , seruare valeat atque custodire . Reliqua vero quæ scribi fas non erat , cum adfueris , interrogati , poterimus edicere . Erit autem Domini potentiae , etiam id procurare , vt & tuam Ecclesiam , & clericos nostros , qui sub tuo pontificio diuinis famulantur officiis , bene instituas , & aliis formam tribuas , quam debeant imitari . Data 14. Kalendas Aprilis , Theodosio Augusto septies , & Palladio viris clarissimis consulibus .

Dist. 25.
Illud super-
fluum .

Ann. Dom.
416. qui
fuit Inno-
centii vlti-
musp.

N O T A E.

* *Nam presbyteris .] Non sacramentalis , quæ adhibetur in confirmatione , sed tantum ceremonialis vñctio sacerdotibus concessa fuit . De qua vide notas in vitam Syluestri , & Can . 20 . Concilii Tolletani .*

Concil. Tom. 4.

B

Sacramen-
tis non ce-
remonialis
vñctio chris-
matus sa-
cerdotibus
illicita est .